



1794.

1. Meissner, James Fridricus: De concursu et commutatione actionum
2. Walch, Georgius Fried: Historiae hanc usque provis quam praescriptionis acquisitivae scripturae sect. I, lectio- nes suas per semestre aestivum . . . habendas indic- turus.

1795.

1. Gries, James Michael: De indossatione literarum cambialium secundum jus cambiale Hamburgense communi in auxilium vocato.
2. Groening, Henricus: De eo, quod ius in acti'ca nulli- tates iudicii criminalis
3. Lampe, Henricus: De vi et efficacia cautelarum pro tuendo jure conductoris aduersus emtorem rei loc- ae expellentem.
4. Luchsen, Conradus Otto: De praesentis publicis ex jure Ger- manico, praesentim Hamburgensi spectatio

1795

5. Mizguelb, Corotus Olivarius Trusshens: De jure foederum
liberis imperii civitatibus competente
6. Pehzelt, Nicolaus Hasterigius: De fundamento rigoris
Cambialis
7. Schaffhausen, Zacharius Nicolaus: De probatione
per libros mercatorum
8. Witzow, Petrus Augustus: De repositione judiciali
debiti cambialis praesertim ex jure Hamburgensi

Umm

oris

o

1
2



[Faint, illegible handwriting in cursive script, likely a list or index of names and titles.]




2062.
1794, 2
21

HISTORIAE
TAM VSVCAPIONIS
QVAM PRAESCRPTIONIS
ADQVISITIVAE
SERVITVTVM
SECT. I.

LECTIONES SVAS
PER SEMESTRE AESTIVVM
cDId CCLXXXIV
HABENDAS
INDICTVRVS

CONSCRIPSIT
GEORGIVS FRIED. WALCH
J. V. D.

GOTTINGAE
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of some kind. Some words are partially visible, such as "L", "pl", "co", "ne", "tu", "ic", "nu", "ill", "ec", "qu", "be", "po", "qu", "fti", "pr", "m", "vo", "gis", "ion", "ion", "ha", "tati", "pu".

L
pl
co
ne
tu
ic
nu
ill
ec
qu
be
po
qu
fti
pr
m
vo
gis
ion
ion
ha
tati
pu



Instituente mihi de fati tam vsucapionis, quam praescriptionis acquisitivae servitutum pauca conscribere, non tam propterea ab excusatione videtur esse exordium, quod argumentum, in quo tractando iam multi viri eruditi, sique summi, studium suum posuerunt, de novo tractandi periculum faciam, — vix enim illud iam ita est exhaustum, ut qui iterum de eo agat, non nisi actum agere queat; — quam potius ideo, quod hac de re scribam, bene intelligens, eam nec a me ita, ut fieri possit ac debeat, tractatum iri; praesertim quum & temporis, quo res perficienda est, angustiae, quo minus aliquid perfectius atque politius proferre queam, me impediunt. Interea tamen, eos, qui specimen hoc qualecunque pervolvare haud gravabuntur, indulgentes magis, quam severos eius fore indices, eo maiori iure me sperare posse arbitror, quo maiorem habet difficultatem tum veterum, quae hac de re habemus, monumentorum interpretatio, tum eorum, quae de his viri docti disputarunt, diiudicatio.

Attamen haud omnem hunc campum nunc emetiar. Quam enim in tradenda historia usucapionis & praescriptionis adquisitivae servitutam quinque videantur distinguenda esse tempora, quorum primum est XII tabularum, alterum iurisprudentiae mediae, tertium Legis Scriboniae, quartum ab hac lege ad Iustinianum usque excurrans, quintum denique iuris Iustiniani: nunc quidem in tribus prioribus subsistam, de sola servitutum usucapione acturus; siquidem praescriptio, vltimis reipublicae liberae vel demum imperatorum aetate inventa, ante Legem Scriboniam ad servitutes haud prolata esse videtur a).

LEX XII TABULARUM.

Ex lege decemvirali servitutes haud potuisse usucapi, omnes vno ore contendunt; — in primis hac ratione videntes, quod possessio, cuius servitutes haud sint capaces, ad usucapionem semper fuerit necessaria; & praeterea celeberrimum: *VSUS AUCTORITAS FUNDI BIENNIUM; CAETERARUM RERUM OMNIUM ANNUUS*

a) De coniectura *Jani a Costa*, qui (*Pract. lect. in tit. D. de servitt. ad L. 14. in fin.* ap. MEERM. T. I. p. 710.) contrarium statuere videtur, infra (Sect. II. huius comment.) commodior erit dicendi locus.

ANNUS VSUS ESTO, ubi non nisi corporalium rerum mentionem fieri putant; tum ad CROCERONIS effatum, in oratione pro Caecina extans: *Fundus a patre relinqui potest; at usucapio fundi, hoc est finis sollicitudinis ac periculi litium non a patre relinquitur, sed a legibus* (scil. sumitur). *Aquaeductus, haustus, iter, actus a patre* (scil. relinquitur); *sed rata auctoritas harum rerum omnium* (i. e. ius vindicandi has servitutes, seu dominium earum, usucapione adquisitionum b) *a iure civili sumitur c)*. Quibus verbis Tullium, usucapionem

A 3 aquae-

b) Cf. OTTO *Diff. de usucap. servitt. c. II. §. 3.* (in eius *Diff. iur. publ. & priv. P. I. p. 413.*); & BOUCHAUD *Comment. sur la loi des XII. tabb. p. 501.*

c) CIC. *pro Caec. c. 26.* — Tullius, hac oratione contra Aebutium, ITCorum auctoritati obtemperari non oportere (c. 23.) affirmantem, nihil esse in civitate tam diligenter, quam ius civile retinendum (c. 25.) contendens, ita huius iuris auctoritatem defendit, ut asserat, hoc iure non modo oppresso, sed etiam deserto aut negligentius asservato, nihil esse quod quisquam se habere certum aut a patre accepturum aut liberis relicturum arbitretur (c. 26.). Provocat, ut dictis fidem faciat, ad iura usucapionum; quippe quae & legibus (XII tabb.) & iure civili nitantur; maiorem dicens unicuique venire hereditatem

aqueductus, haustus &c. *iuri civili, legibus* (XII tabb.) opposito, tribuentem, clare testari arbitrantur, servitutes ex Lege XII tabb. haud esse vsucaptas d).

Nec est, quod hac de re dubitemus; licet haud negari posse videatur, hisce argumentis, praesertim si singula spectentur, haud pauca posse reponi. Nam contra primum argumentum, inde petum, quod possessio ad vsucapionem semper fuerit necessaria, monere quis possit, hoc non tam certum esse, ut plerique credant. Quamvis enim vocabulum *vsus*, illo XII. tabb. versu occurrens, si respicias ad res corporales, omnino denotet *possessionem*: inde tamen minime consequi, decemviros huic voci hanc strictam tribuisse significationem. Neque effata MODESTINI e), atque LICINII RUFINI f), a GALVANO g) laudata, neque id,

tatem in iisdem bonis a iure (civili) & a legibus (XII tabb.), quam ab iis, a quibus illa ipsa bona relicta sint; quandoquidem, ut perveniat ad se fundus, testamento alicuius fieri possit; ut retinere possit, quod suum factum sit, sine iure civili non possit; tandemque (c. 26. in f.) ita pergit: *Fundus a patre &c.*

d) Vide haec argumenta exposita a GALVANO *de vsufr.* XII, 2.

e) *L. 3. de vsurpp.* f) *L. 25. eod.*

g) *GALV. l. c.*

id, quod PAULLUS tradat *L. 14. D. de servitt.* (quem locum ad XII tabulas spectare nonnulli crediderunt) ad usucapionem nunquam non possessionem fuisse necessariam probare; quandoquidem hi JCti de iure sui temporis loquantur. Et, licet concedamus, eosdem credidisse, usucapionem secundum ius XII tabularum sine possessione contingere non potuisse; tamen fatendum esse, eos forsitan male explicasse legis decemviralis verba; eodemque iure, quo hi scriptores, florentes ultra quingentos post conditam legem decemviralem annos, vocem *usus* possessionem denotare statuerint, nobis licere, huic vocabulo latiore tribuere sensum. — Deinde alteri argumento reponi posset: Probandum esse, decemviros verbis: *Caeterarum rerum &c.* h) solas res corporales mobiles comprehendisse. Minime sane hoc inde colligi posse, quod haud probabile

A 4 fit,

h) Quamquam legentes THEOPHILUM (ad *pr. Insti. de usuc.*), nec non VLPIANUM (*Fragm. XIX, 8*), & *Legem vn. C. de transf. usuc.* possemus suspicari, hac XII tabb. lege rerum immobilium & mobilium expresse fuisse mentionem factam; ponderatis tamen iis, quae CICERO (*Top. 4. & pro Caes. c. 19.*) disputat, facile intelligemus, decemviros in prima legis parte vocabulo *fundi*, in altera vero verbis *ceterae res* vel saltem similibus, haud minus generalibus, vios esse.

ili, legibus
clare testa-
e XII tabb.

itemus; li-
isce argu-
ntur, haud
rimum ar-
offessio ad
, monere
se, vt ple-
ulum *usur*,
spicias ad
possessionem:
viros huic
cationem.
e LICINII
a, neque
id,

civili) &
ab iis, a
quando-
is, testa-
retinere
sine iure
26. in f.)

GALVA-

25. eod.

fit, servitutes vnquam brevissimo vnus anni spatio esse adquisitas, quia *Imp. ANTONINUS* i), servitutes exemplo rerum immobilium tempore quaeri, & *CELSUS* k), eas ipforum praediorum qualitates esse, dicant l); nam ad probandum ius XII tabb. ex eo, quod imperatorum aetate iustum fuerit, argumentum duci non posse m). — Nec denique illud *CICERONIS* effatum, ex lege decemvirali nullas vsucaptas esse servitutes, fidem nobis facere. Quum enim servitutes aquaeductus, haustus, itineris, actus, quarum vsucapionem iure civili admissam esse dicit, omnes sint rusticae: nihil nos impedire, quo minus credamus, servitutes P. V. nec non personales ex iure XII tabb. vsucapione quaeri potuisse.

Enimvero, quamvis haec illis argumentis opponi posse concedam: tamen recte affirmari puto, non solum nullam de servitutum vsucapione in XII tabulis legem fuisse scriptam, sed decemviros quoque, illud caput: *Vsus auctoritas &c.* condentes, de sola rerum corporalium vsucapione cogitasse. Nam, de servitutibus *rusticis* in XII tabb. nihil expressse

i) *L. 2. C. de servitt.* k) *L. 86. D. de V. S.*

l) Vtitur his rationibus *GALV. de usufr.* XII, 2.

m) Praeterea, *CELSUM L. 86. cit. de servitutibus* agere, admodum dubito.

presse fuisse cautum, CICERO n) loco lauda-
 to clare docet, dum ibidem servitutem aquae-
 ductus, haustus, itineris, actus vsucapi dicit
iure civili, quod *legibus* (XII tabb.) opponit.
 Neque credendum videtur, legem, quae *reli-*
quarum tantummodo servitutum vsucapionem
 permiserit, in XII fuisse scriptam; praesertim
 quum Cicero fortasse propterea non nisi
 rusticarum servitutum vtatur exemplis, quia
 his nominatis servitutibus, quae plerumque ma-
 ioris erant pretii, quam urbanae, quod de-
 monstraturus erat (nimirum ius civile civibus
 esse vtilissimum, eamque ob causam ab iis
 retinendum) melius probare poterat, quam
 servitutum urbanarum exemplis (vide supra p. 3.
 not. c.). — Decemviros vero, legem de vsu-
 capione conscribentes, de rerum incorporali-
 um vsucapione nequidem cogitasse, ideo mihi
 videtur probabile, quia persuadere mihi ne-
 queo, iis leges illas rudes condentibus venisse in-
 mentem, fieri posse vt olim quaeratur: an, quem-
 admodum res corporales possessione adquiran-
 tur, etiam iura, quibus quis per certum tem-
 poris spatium vsus sit, queant vsucapi?

A 5

Quum

n) Quem huius rei testem esse fide dignissi-
 mum nemo negabit, qui recordatur, eius
 aetate pueros duodecim vt carmen ne-
 cessarium didicisse. Cf. Cic. *de legg.*
 II, c. 23. & c. 4.

Quum tamen non omnia, quae legibus haud expresse sunt constituta vel permilla, iisdem vetita ac prohibita censenda sint; & decemviri illa lege ad usucapionem non possessionem exegerint; sed usum, quem servitutes minime respuunt: earum usucapionem XII tabularum legibus prorsus repugnasse haudquaquam crediderim o); neque Jctos, tempore recentiori usucapionem ad servitutes producentes, ius XII tabb. mutasse, vel aliquid contra eas statuisse affirmaverim.

JURISPRUDENTIA MEDIA.

Quod enim multis aliis iuris Romani legibus accidit, — ut a Jctis, (qui eas interpretantes, non magis verba earum, quam sententiam ac voluntatem sequebantur), ad causas proferrentur pares, quae, licet verbis legis expressis nihil de iis esset cautum, paria tamen iura poscere videbantur, — idem & legi XII tabularum de usucapione contigisse, discimus ex illo CICERONIS loco, iam saepius memorato, ubi usucapio aquaeductus, haustus &c.

o) Notandum est, GALVANUM ipsum (*de usufr.* XII, 3.) concedere, prudentes eo magis recipere potuisse servitutem usucapionem, quia Lex XII tabb. ad usucapionem exigeret usum, servitutes autem licet non recipiant possessionem, recipiant nibilo minus usum.

&c. iuri civili tribuitur. Quum enim nomine *iuris civilis*, plerumque, ut ipsis iuribus notum est, ius prudentum auctoritate introductum significante, Tullium hoc loco idem hoc ius designare voluisse, ex iis, quae supra (p. 5. not. c.) monuimus, clare pateat: satis quoque expeditum esse videtur, legem decemviralem de rerum corporalium usufructu a prudentibus ad servitutes esse productam p). Atque hac de re eo minus possumus dubitare, quum PAULLUS q), Lege Scribonia eam usufructu, quae servitutem constituebat, sublatam esse dicens, manifeste doceat, ante hanc legem servitutes esse usufructu r); quamquam, quo iure haec usufructu introducta sit, haud addit s).

Neque

p) OTTO (*Diss. cit. c. II. §. 2.*) & BOUCHAUDIUS (*Comment. sur la loi des XII tabb.*) hoc demum Ciceronis aevi factum esse, coniiciunt.

q) *L. 4. §. ult. de usurpp.*

r) Siquidem ius, quod tollitur, antea obtinuisse, necesse est. — Quare ANNAM ROBERTUM, Pauli verba (*L. 4. §. ult. cit.*) ita explicantem, quasi L. Scribonia sustulerit servitutem usufructu non quod ante usufructu potuerint; sed quia iuris regulae & natura usufructu sint impedimento, recte notatum esse puto ab OTTONE (*Diss. cit. §. 4. p. 419.*) & BOUCHAUDIO (*l. c. p. 499.*); — praesertim quum

Neque dubium esse potest, quin ob eadem *rationes*, ob quas rerum corporalium vsucapio olim fuit introducta, eadem ad servitutes sit prolata.

Perdifficilis autem & perobscura est quaestio: *Virum haec vsucapio ad omnes pertinuerit servitutes, an ad unum tantum earum genus?* De qua quaestione quum viri eruditi in contrarias disputaverint partes; aliis solas servitutes vrbanas, aliis eas tantum, quae sunt praediorum rusticorum, aliis omnes praediales, aliis & praediales & personales vsucapi potuisse affirmantibus t): argumenta, quibus sententias suas confirmarunt, exponere & diligenter examinare, meum esse puto.

Et sententiam quidem priori loco commemoratam, nimirum *solas servitutes P. V.* vsucapi

quum Paullus l. c. vsucapionis, quae servitutem *constituebat*, adeoque in vsu erat, expresse faciat mentionem.

- s) Haec Ciceronis & Paulli testimonia fortasse alius quoque PAULLI locus (*S. R. lib. I. 17, 2.*) confirmat. — Sed auctoritate AGGENI VRBICI (*de controu. agror. in Goesii auctt. rei agrar. p. 53.*) ad probandam hanc rem satis certam equidem haud vti malim; quum nequidem expeditum sit, an Aggenus de servitutis vsucapione agat.
- t) Notandum tamen, plerosque, de solis servitutibus praedialibus agentes, de personalibus sententiam suam non dicere.

vsucapi potuisse, CUIACIUS v) defendit, hac
 utens ratione, quod servitutes P. V. tales sint,
 vt continuam habeant possessionem, servitu-
 tes contra P. R. & possideri nequeant & natura
 habeant intermissionem. Tantum tamen abest,
 vt summi viri auctoritate movear, vt potius
 eius opinionem falsissimam esse affirmare haud
 dubitem. Recte enim ad eius argumenta re-
 spondit D'AVEZANIUS x), 1) qui contendat, vsu-
 captionem ad servitutes rusticas propterea non
 fuisse prolatam, quia hae possideri nequeant,
 eum quoque dicere oportere, neque servitu-
 tum vrbanaarum vsucaptionem fuisse recipien-
 dam, quas quoque incorporales esse nemo
 ambigat; deinde vero 2) falsum esse, omnes
 servitutes rusticas habere intermissionem, si-
 cut contra nec omnes vrbanae continuam ha-
 beant possessionem y). — Melius forsan Cui-
 acii

v) CUIAC. *Comment. ad tit. D. de vsurpp.*;
 ad L. 4. §. ult. (Tom. I. *Operum prior. ed.*
Fabrotii Par. 1658.). — Consentunt cum
 Cuiacio VINNIUS (*select. quaest.* I. 31.), VOE-
 TIUS (teste *Puf.* T. III. *Obs.* 188. §. 3.),
 & si *Bouchaudio* fides habenda, plerique
 Icti. RAVIUS contra (*de praescr.* p. 101.
ed. 3.) omnes fere contendere, hanc vsu-
 captionem ad servitutes tam vrbanas quam
 rusticas pertinuisse, affirmat.

x) D'AVEZANI *servit. liber.* P. IX. c. 4.

y) Addit D'AVEZANIUS, facile fuisse, in
 quibus-

iacii sententia defendi posset his PAULLI ver-
bis z): *Viam, iter, actum, aquaeductum,*
qui biennio usus non est, amisse videtur. Ne
enim ea vsucapi possunt, quae non utendo
amittuntur. Hoc enim loco Paullus statuere
videtur, servitutes illas rusticas, quas enume-
rat, haud vsucapi posse; dum illas non vsu
amitti, omnia autem, quae ita amittantur,
non vsucapi docet. — Sed, loco hoc accu-
ratus considerato, quin Paulli sententia fuerit
haec: „*Libertatem eorum, quae non vsu amit-*
tantur, vsucapi non posse“, vix dubium esse
potest a). Et omnem denique rem conficit
ille Ciceronis locus b), saepenumero laudatus,
vbi quatuor servitutes rusticae vsucapi posse di-
cuntur; quem locum a Cuiacio prorsus esse
praetermissum, omnino est mirum.

Itaque nihil certius est, ac id ipsum, ser-
vitutes rusticas potuisse vsucapi. At dubium
esse videtur, *utrum hae solae, an etiam urba-*
nae vsucaptae sint? — PUFENDORFIUS c), pru-
dentes

quibusdam servitutibus rusticis, quae na-
tura sua habeant intermissionem, continua-
tionem possessionis fingere; qua de re
videatur l. c.

z) PAULLI *R. S. lib. I, 17, 1.*

a) Ita D'AVEZANIUS l. c.

b) *pro Cacc. c. 26.* Cui loco nonnulli iun-
gunt illa PAULLI atque AGGENI loca; su-
pra p. 12, not. s. laudata.

c) PUF., T. III. *Obs. 183. §. 3.*

dentes id, quod lege decemvirali de fundi vsu-
 catione cautum fuerit, ad servitutes P. R.
 propterea protulisse, quia hae quoque res
 fuerint mancipi, in libris censualibus ex-
 acte descriptae, coniciens; idem ad servitu-
 tes vrbanas fuisse accommodatum, nullam
 contendit habere speciem veri; „quia 1) loca
 Ciceronis d) & Aggeni Urbici e) non nisi ad
 servitutes rusticas pertineant; 2) *Lex 4. §. ult.*
de usurpp. nihil amplius declaret, quam vsu-
 cationem *libertatis* Lege Scribonia non
 esse sublatam (vnde, servitutum vrbana-
 rum vsucationem olim fuisse receptam, haud col-
 ligi possit); denique vero 3), quum huius-
 modi servitutes res mancipi non fuerint, vix
 fieri potuerit, vt earum admitteretur vsucapio.“

— E contra RAEVARDUS f) servitutes vrbana-
 nas aeque ac rusticas vsucaptas esse arbitratur;
 sibi persuadens, hoc non obscurum esse, si
 vsucationem servitutum P. R. Lege Scribonia
 expresse sublatam esse consideremus. Eadem-
 que sententia quoque BOUCHAUDIO g) placet
 propter

d) *pro Caec. 26.*

e) *de contro. agr. ap. GOES. p. 53.*

f) RAEV. *ad L. Scribon. c. 6. in Opp.*
T. II, p. 159.

g) BOUCH. *Comm. sur la loi des XII, Tabb.*
P. 502.

propter verba Pauli (*L. 4. §. ult. de usurpp.*) generalia h).

Haud tamen magni vel potius nullius ponderis esse videntur haec RAEVARDI & BOUCHAUDII argumenta. Nam, lege Scribonia vſucapionem ſervitutum vrbānarum expreſſe eſſe ſublata, extra omnem, vt Raevardus credere videtur, dubitationis aleam haudquam poſitum eſt (cf. infra p. .); neque inde, quod *L. 4. cit.* Jctus generatim loquatur, Lege Scribonia omnium ſervitutum vſucapionem

h) Praeter Raevardum atque Bouchaudium quoque Joſephus Fernandez DE RETES (*ad L. Scribon. nr. 6. in Theſ. MEERM. T. VI. p. 465.*), nec non D'AVEZANIUS (*ſervitt. lib. P. IX. c. 4.*) omnes ſervitutes vſucaptas eſſe ſtatuunt. — Verum D'AVEZANIUS (perinde ac Bouchaudius) in eo potiffimum verſans, vt probet, ſervitutes ruſticas vſucapione eſſe acquiſitas, id, quod in primis erat probandum, nimirum vrbānas eſſe vſucaptas, nullis argumentis confirmavit. — SCHULTINGIUS contra, quem ſecutus eſſe videtur HERNECCIUS (*Synt. Antiqq. II, 6, 6.*) haec ſiſtaſſe videtur, vtrum omnes, an ſolae ruſticas vſucapione acquiſitas eſſe, crederet; nam ait (*Iprud. Anteiuf. p. 256 ad Paull. I, 17, 2.*): „Deinceps iure „civilis inducta eſt vſucapio ſervitutum „ſaltim ruſticarum, quae res erant mancipi“.

capionem esse sublatam, adeoque ante illam omnes potuisse vsucapi, recte colligitur. Quamvis enim ante hanc legem rusticae solae vsucaperentur: tamen potuit auctor Legis Sriboniae generalibus vti verbis; quandoquidem facile apparere debuit, legem spectare ad eas solas, quae vsucapiebantur. — Maioris sane momenti ea sunt, quae PUFENDORFIUS habet. Etenim, si solas servitutes rusticas, teste Vlpiano i), fuisse res Mancipi, rerum vero immobilium non nisi eas, quae res Mancipi fuerunt, vsucapi potuisse recordamur; simulque perpendimus, & Ciceronem & Aggenum Urbicum, de servitutum vsucapione loquentes, non nisi rusticas nominare; has solas vsucaptas esse, non potest non probabile fieri. — Quum tamen concedendum esse videatur, quos vsucapionem fundi ad ea etiam iura fundorum, quae non erant res Mancipi (licet eiusmodi fundi vsucapionem respuerent), potuisse producere, & casu factum esse possit, ut de sola rusticarum servitutum vsucapione veterum habeamus testimonia, (ut taceam, admodum esse incertum, an Aggenus de servitute loquatur): hanc litem sub iudice relinquere malim.

Ad

i) Vlp. *Fragm.* XIX, I.

B

Ad *servitutes personales* denique quod attinet: GALVANUS k) *usufructum* ad *usufructum* 1) *perinde ac ad servitutes praediales* prolatam esse contendit, „quia 1) hac in parte idonea differentiae ratio inter has & *usufructum* excogitari nequeat; 2) deinde L. Scribonia absolute dicatur sustulisse *servitutem usufructum*, atque adeo etiam *usufructus usufructum* sustulerit; 3) denique vero, sicut a media iurisprudencia inductum fuerit, ut *usufructus* amitteretur, ita ab eadem constitutum esse credendum sit, ut idem *usufructum* acquireretur”. RAMOS DEL MANZANO m) contra, qui ex *servitutibus praedialibus* eas solas, quae sunt P. R., *perinde ac Pufendorfius*, ideo, quia hae solae fuerint res mancipi, *usufructus* esse credit, eandem ob rationem & *servitutes personales*, quas omnes

k) GALV. *de usufr.* XII, 12. — Conferre videtur cum Galvano Josephus Fern. de RETES, qui commentarium suum in L. Scriboniam (in *Thef. MEERM.* T. VI. p. 464.) inscripsit: *Ad L. Scriboniam, sive de prohibita usufructu servitutibus realium personaliumque.*

l) GALVANUS de solo *usufructu* agit; procul dubio tamen de reliquis *servitutibus* idem statuit.

m) RAMOS DEL MANZANO *Comment. ad tit. D. de servitt.* P. II. c. 2. §. 12. ap. MEERM. T. VII. p. 66.

omnes in numerum rerum nec mancipi relatas esse monet, usufructu potuisse negat. — Neutrum tamen horum JCTorum sententiam suam satis probasse arbitror. Etenim GALVANI argumenta non nisi coniecturis nisi manifestum est; illi autem JCTo Hispano idem, quod contra Pufendorhium monui, reponi posse videtur; cui accedit, quod tam usufructus quam usus non solum sit rerum immobilium sed & mobilium. Inde enim conicere quis posset, quemadmodum res mobiles usufructuiebantur, siue mancipi fuerint siue nec mancipi, ita usufructum certe rerum immobilium usufructum esse.

Caeterum de iis, quae ad hanc servitutem usufructuionem absolvendam fuerint necessaria, nihil nos habere certi constendum videtur. Attamen probabile est, eam usufructuioni rerum corporalium fuisse simillimam; adeoque saltem iura fundorum demum biennio esse usufructu; quamquam hoc illis effatis PAULLI (S. R. lib. I. 17, 2.) atque AGGENI VRBICI, quo utroque biennii mentio sit, probare nolim n).

LEX

n) RAEVARDUS (ad L. Scribon. c. 3.) monet, rectius dici, servitutes usufructuionis esse (qua de re cf. quoque D'AVEZANII *liber servit.* P. IX. c. 2. & RAMOS ad tit. *D. de servitt.* II, 2, 8. ap.

B 2

MEERM.

LEX SCRIBONIA.

Refat, vt de Lege Scribonia, qua hanc, de qua hucusque egimus, servitutem vsucapionem sublatam esse constat o), breviter exponamus.

Ait vero PAVLLVS (L. 4. §. ult. de vsurpp.): Libertatem servitutem vsucapi posse verius est, quia eam vsucapionem sustulit Lex Scribonia p),
 quas

MEERM. T. VII. p. 64.); praetereaque (ibid. c. 4.) quaerit: num servitutes ipso iure vsucapi potuerint?

o) CULACIUS (Comm. ad tit. D. de vsurpp. ad L. 4. §. ult.) non solum hac lege sed & more matorum vsucapionem servitutem vrbanaum (quas solas ante L. Scriboniam vsucaptas esse statuit. cf. supra p. 12. 13.), sublatam esse contendit (motus procul dubio vocabulo observatur in L. 14. D. de servitt., de quo vide infra p. 27. 28.); indeque colligit, mixto iure factum esse, vt ne urbanorum praediorum servitutes vsucapi potuerint; quandoquidem PAVLLVS (R. S. lib. V, 4, 6.) iniuriarum actionem aut lege, aut more, aut mixto iure introductam esse dicat; — quam ob rem tamen a *Fano a COSTA* (Prael. tit. ad tit. D. de servitt.; ad L. 14. ap. MEERM. T. I. p. 709.) vituperatur, & iure quidem, vt arbitrator, meritoque.

p) HALOANDER legit *Voconia*; a plerisque tamen eo nomine reprehenditur.

quae servitutem constituebat, non etiam eam, quae libertatem praestat, sublata servitute. Itaque si, quum tibi servitutem deberem, ne mihi puta liceret altius aedificare, Et per statutum tempus altius aedificatum habuero; sublata erit servitus q). Sed hoc vnicum est, quod, quartum scimus, in veterum scriptis de hac lege extat testimonium; vnde, quae viri docti de illa disputarunt, cuncta nituntur coniecturis admodum incertis.

Interea tamen videamus, quanam ex iis, quae in medium protulerunt, aliis sint veriora; ante omnia de auctore huius legis, & de tempore, quo ea condita fuerit, differentes; — deinde vero de servitutibus, ad quas lex spectaverit, — de ratione, qua motus eius auctor eam scripserit; — & de nonnullis veterum locis, quae *Legi 4. §. ult. cit.* adversari videntur, paullo plenius acturi.

Quum gens Scribonia fuerit nobilissima, & haud exiguo virorum illustrium floruerit numero r): non mirum est, Jctos de au-

B 3

ctore

q) Conferri possunt cum hoc loco *L. 14. D. de servitt.* & *L. 10. §. 1. de usurpp.*; quippe ex quibus, servitutes Vlpiani & Paulii aetate haud esse usucaptas, patere videtur. Ultimo enim loco verba *longo tempore* a Triboniano adposita esse, Cuiacius recte videtur observasse.

r) Stemma huius gentis, haud tamen omnes

ctore nostrae legis & de eius aetate gravissime dissentire. Tribuunt vero eam CUIACIUS s) *L. Scribonio Liboni*, qui tribunus pl. circa a. V. C. 603, in Servium Sulpicium Galbam propter Lusitanos contra fidem interfectos, rogationem tulit t); HOTTOMAN-

NUS

nes, qui nobis noti sunt, continens Scribonios, vid. ap. RYCKIUM in animadv. ad *Tacit. Ann. II, 27.* — Praeterea de hac gente cf. RHODIUS ad *Scribonium Largum de composit. medicam. in princ. & GLANDORP in Onomast.*, laudati a *Joanne van de WATER* (*Obss. iur. Rom. p. 215.*)

s) CUIAC. l. c. ad *L. 4. §. ult. de usurpp.* — Assentitur Cuiacio D'AVEZANIUS (*lib. servit. P. IX. c. 5*); sed HOTTOMANNUM quoque, & BALDUINUM eidem huic Scribonio, a quo Cuiacius nostram legem conditam esse credit, eandem tribuere, *Jo. van de Water, Otto & Bouchaudius locis laud. perperam* affirmarunt. Nam BALDUINUS (*Æjurispr. Mutiana p. 281.*, ubi *van de Water* eum audacter asseverare dicit, hanc legem esse tribunitiam, a *L. Scribonio Libone*, Trib. pl. promulgatam) expressis verbis nos ignorare fatetur, quando lex Scribonia lata sit, & consularis an tribunitia fuerit; atque HOTTOMANNUS (*de legib. p. 67.*) C. Scribonium Curionem, qui Cos. fuit cum C. Octavio, huius legis auctorem esse opinatur.

t) Teste CICERONE in *Bruto c. 23.* — Plur

NUS v) *C. Scribonio Curioni*, qui consulum
gestit cum Cn. Octavio (a. V. C. 677
x); GALVANUS y) *L. Scribonio Liboni*, Cos.
cum M. Antonio a. V. C. 719. z); & RAE-
VARDUS a) denique *L. Scribonio Liboni*, qui
Tiberio imperatore consul fuit suffectus cum
Sifenna

ra de hoc Scribonio congeffit *Ant. AUGUSTINUS de legib.*; qui tamen haud de-
finit, quis nostrae legis fuerit auctor.
Videatur praeterea *Index ERNEST. hist.*
ad Cic. in Libone & Scribonio.

v) HOTTOM. *de legib.* p. 67.

x) Cf. ERNESTI *Index hist. ad Cic. in Cu-
rione.*

y) GALVAN. *de usufr.* XII, 4.

z) Eidem Scribonio BACHIUS etiam (*hist. iu-
rispr. Rom.* p. 190.) nostram legem tri-
buit. Addit tamen: „si non sit ipsa Cu-
rionis *viaria*“; ibique, ubi de hac *viaria*
agit (p. 186. not. e.), dicit, parum ab-
esse, quin coniecturam hanc probet, si
quis velit dicere, nostram legem Scribo-
niam de usufructu atque illam *viari-*
am fuisse eandem; quandoquidem vtri-
usque legis simile fit argumentum. —
VIARIAM vero hanc promulgatam esse a
C. Scribonio C. F. POP. CURIONE, tribu-
no pl. (anno 703) CICERO (*ad divers.*
VIII, 6.) nos docet. — Cf. ERNESTI *In-
dex hist. Cic. in Curione & Scribonio.*

a) RAEV. *ad L. Scrib. cap. i.*

Sisenna Statilio Tauro (a. V. C. 768.) b), & Scto Liboniano de falso c) nomen suum dedit d). Omnes tamen illi, quorum sententias recensui, ita loquuntur, vt potius conuicere, quam contendere videantur, eum, quem nominant, nostrae legis fuisse auctorem; neque habet vllus eorum argumenta satis idonea, quibus haec controversa dirimi queat. Verior quidem videtur sententia eorum, qui nostram legem tribuunt vni amborum consulum, quos vltimo loco nominavimus, quam opinio vel Cuiacii vel Hottomanni. Si enim nostra lex condita esset vel a tribuno, quem Cuiacius, vel a consule, quem Hottomannus nominat (quorum vterque munus suum gessit ante annum V. C. 685, quo Ciceronem pro Caecina dixisse probabile est e)); adeoque iam ante hanc habitam orationem sublata fuisset vsu capio servitutum, iure civili introducta:

Tul-

- b) Cf. RAEV. l. c. & Jo. van de WATER *Obss. iur. Rom.* p. 216; nec non DIO *lib.* 57. . ibidem laudatus.
- c) Vid. BACHII *hist. iurispr. Rom.* p. 354
- d) HEINECCIUS (*Syntagm. Ant. Rom.* II, 6. 6.) nostram legem a nonnullis *Coelilio Curioni*, tribuno plebis, tribui docet; equidem tamen neminem, qui hunc nominet Legis Scrib. auctorem, inveni.
- e) Cf. Vita Ciceronis praefixa Tomo I. eiusd. *Operr.* ed. Bipont. p. LXVIII.

Tullius, oratione illa iuris civilis auctoritatem defensorus, profecto dicere haud potuisset, *ratam auctoritatem aquarductus, haustus, &c. a iure civili sumi* (cf. supra p. 5.). Neque obflaret ei, qui hanc legem ab vno illorum consulum promulgatam esse credere vellet, quod ea vnicum habet nomen; nam, licet leges consulares alias plerumque a binis consulibus nomen ferant, vt *Papia Poppaea, Junia Norbana*, aliaeque multae: nonnullae tamen harum legum vno nomine insignitae sunt v. g. *Lex Fannia sumtuaria, Lex Valeria de provocacione f)*. Et praeterea, vt *Lex Scribonia*, si consularis est, ab vno tantum consule nuncuparetur, facile potuit ex eo contingere g), quod M. Antonius Scribonii collega eo anno se abdicavit consulatu. At vero, quamvis nihil impedire videatur, quominus nostram legem ab vno horum consulum promulgatam esse credamus: haud tamen liquere puto, vtrum prior, an posterior consul, an tribunus ille, qui auctor est legis

f) *Legem Fustiam* (sive *Fustiam*), quam GALVANUS (de usufr. XII, 4.) etiam inter leges consulares, vnico nomine insignitas, refert, alii a tribuno pl. conditam esse putant. Cf. ERNESTI *Index Legum*.

g) Vt docte monet GALV. de usufr. XII, 4.

legis viariae h) (nam & hic munus suum gessit post annum 685. cf. supra p. 23. not. 2), an denique alius Scribonius, nobis forsitan plane ignotus, legem nostram tulerit; nam condita esse potest brevi post orationem pro Caecina habitam, & contra SCtum esse potest, demum post Tiberii aetatem factum. — Quare de illius auctore nihil omnino, de tempore autem, quo lata sit, nihil nisi hoc constare puto, quod neque ante annum V. C. 685. (quo Cicero pro Caecina dixit), neque post illud tempus, quo Paulus conscripsit commentarium suum ad edictum (quippe cuius fragmentum est *L. 4. §. ult. de usurpp.*); promulgata esse possit.

Sequitur, ut videamus, *utrum ad omnes servitutes, an ad unum solum earum genus pertinuerit Lex Scribonia?* nam & hac de re in utramque partem disputarunt JCIi. Et contenderunt quidem nonnulli i), idcirco legem Scriboniam ad servitutes rusticas non pertinuisse, quia eo loco, quo huius legis mentio

- h) Quare nequidem liquere puto, utrum nostra lex consularis fuerit, an tribunitia.
 i) RAEVARDUS *ad L. Scribon. c. 6.* — Eos, qui ante L. Scriboniam unum solum servitutum genus vscapi potuisse opinantur, etiam statuere, nostram legem ad idem solum genus pertinuisse, vix est, ut mox neam.

mentio
 ctatur
 banis
 credun
 fendit
 gem S
 pertin
 ribus &
 conten
 de serv
 servitu
 pergit
 vatur;
 VLPIA
 servitu
 pore l)
 hoc iur
 indicat

k) E
 l) D
 m)
 ge
 ipi
 Sc
 ha
 co
 tu
 fru
 est
 Pa
 ur
 sta

mentio fit (i. e. *L. 4. §. ult. de usurpp.*), tractatur de libertatis vfucapione, quam in vrbanis duntaxat fervitutibus locum obtinuilfe credunt. Contrariam vero fententiam defendit D'AVEZANIUS k); nam affirmat, Legem Scriboniam ad folas fervitutes ruflicas pertinuilfe; vrbantarum vero vfucapionem moribus & prudentum auctoritate effe fublata; contendens, hoc liquere tum ex *L. 14. D. de fervitt.*, vbi PAULLUS, poftquam docuit, fervitutes ruflicas haud vfucapi poffe, ita pergit: *Idem & in fervitutibus vrbanis observatur*; tum ex *L. 10. §. 1. de usurpp.*, vbi VLPIANUS: *Hoc iure vitimur*, inquit, *vt fervitutes vrbanae per fe nufquam longo tempore l) capiantur*, verba enim *observare & hoc iure vti* ius confuetudine introductum indicare opinatur m). — Quum tamen inde, quod

k) D'AVEZ. *fervit. lib. P. IX. c. 5.*

l) De hisce verbis vide fupra p. 21. not. q.

m) Monet praeteres D'AVEZANIUS *l. c.*, *Legem 4. §. ult. de usurpp.*, qua id, quod ipfe moribus factum effe credat, Legi Scriboniae tribuatur, coniecturae fnae haud obftare; quandoquidem & alia iura confuetudine introducta legibus tribuantur; quod exemplis illuftrat. — At vero frustra & fine cauffa haec ab eo difputata effe puto; quia, quomodo probari poffit, Paullum *L. 4. cit.* potiffimum fervitutium vrbantarum vfucapionem fublata effe teftari, equidem non intelligo.

quod *Lege 4. §. ult. cit.* de usufructu libertatis servitutum urbanarum sermo sit, minime sequi, *Lege Scribonia* nonnisi servitutum urbanarum usufructum esse sublatam, plus quam manifestum sit; D'AVEZANIO autem verba *observare & hoc iura uti* nunquam non de iure moribus introducto usurpari, vix concedendum sit: equidem subscribere mallem sententiae RAEVARDI n), nostram legem ad servitutes tam rusticas quam urbanas pertinuisse statuentis o); quid quod GALVANO p), qui eam ad personales q) quoque spectasse credit, assentiri haud dubitarem; modo certum esset, omnes has servitutes ante nostram legem esse usufructas. Et, licet ex verbis generalibus, quibus Paulus utitur *L. 4. cit.*, dum ait: eam usufructum *Lex Scribonia sustulit, quae servitutem constituebat*, hanc legem ad omnes pertinuisse servitutes, haud conseq̄ui credam: id tamen ex illis ver-

bis

n) RAEV. *ad L. Scrib. c. 6.*

o) Quamquam eius coniecturam, *Lege Scrib. servitutum urbanarum usufructum expressisse esse sublatam*, probari posse dubitem.

p) GALV. *de usufr. XII, 13.*

q) Eum de solo usufructu disserere; procul dubio tamen de reliquis servitutibus personalibus idem statuisse, iam supra monui p. 18, not. 1.

bis re
nium
gem v
Ro
existi
cuius
si corp
Et ideo
les su
tinuam
petuo,
mento
Et in
hoc lo
vitutes
prima
altera
habean
gis Sc
tollere

r) T
s) C
§.
Et
pi
M.
me
LO
lic
rit

bis recte colligi videtur, usufruptionem omnium earum servitutum, quae ante illam legem usufruiebantur, eadem esse sublatam.

Rationem Legis Scriboniae permulti reddi existimant r) a PAULO L. 14. de servitt.; cuius verba haec sunt: Servitutes P. R. etiam si corporibus accedunt, incorporales tamen sunt: Et ideo usu non capiuntur, vel ideo, quia tales sunt servitutes, ut non habeant certam continuamque possessionem. Nemo enim tam perpetuo, tam continenter ire potest, ut nullo momento possessio eius interpellari videatur. Idem Et in servitutibus P. V. observatur. Duas hoc loco Ictus adfert rationes, ob quas servitutes rusticae haud usufruantur; quarum prima est, quod servitutes sint incorporales, altera vero, quod non certam continuamque habeant possessionem s). Sed auctorem Legis Scriboniae his rationibus, ut servitutum tolleretur usufruptionem motum esse, mihi non possum

r) Teste Joanne van de Water Obsf. p. 220.

s) OTTO (Diss. de usufru. servitt. c. II. §. 5.) prima huius loci verba: servitutes Et c. usque ad verba: Et ideo usu non capiuntur; nec non vltima verba: Idem Et c. MASURIO SABINO (ad quem h. l. commentatur Paullus); caetera vero PAULO deberi, conicit. — Quae observatio, licet elegans sit, vix tamen probari poterit.

possim persuadere. Etenim si eam propter primam rationem sustulisset: etiam libertatis usucapionem, (quam tamen hac lege haud sublatam esse eodem loco expresse monet Paullus), tollere debuisset, & ad alteram quod attinet rationem, falsum est, omnes servitutes rusticas tales esse, ut continuam possessionem non habeant t). Accedit, quod ius, introductum contra *subtiles* iuris regulas (quales hae esse videntur, quas continet L. 14.), eam ob causam, quia his repugnat, vix unquam tollatur. — Itaque Paullum hoc loco vel ad Legem Scriboniam prorsus non respexisse, vel saltem veras eius rationes non reddidisse, recte a nonnullis observatum esse puto; neque multum abest, quin veram esse credam coniecturam *Joannis van de WATER v)*, qui propter libertatis favorem & odiosam servitutum naturam legem nostram conditam esse arbitratur; coniciens, iniquum visum esse Scribonio, fundos & aedes ignorantibus dominis servitutis oneri subici. Opibus enim x) tunc temporis crescentibus, servitutum usucapio, brevissimo bien-

t) Argumento est aqua perpetuo fluens.

v) *Jo. van de WATER Obs. iur. Rom. p. 223.*

x) Quod docte monuerunt OTTO (l. cit. §. 5.), & MAIANSIUS ad 30 *Ifforum Fragm. p. 402. 3.*

nii spatium
praediorum
bus verba
terant),
negligentiam
eamque

Denique
his omnibus
tavinus
tum Paullus
libelli,
cant (*in*
bicus (*in*
pe qui,
pferunt
statuere
ca adda

y) P
cau
tati
cile
ner
z) in
a) P
Le
Ag
b) L
L.
usu
nia

nii spatio abfoluenda, dominis multorum praediorum longe distantium, (quae ipsi, rebus vrbanis addicti, saepius invilere non poterant), propter colonorum inquilinorumque negligentiam facillime potuit damnosa fieri, eamque ob rem iniqua videri y).

Denique silentio non praetereundum est, his omnibus, quae de Lege Scribonia disputavimus, obstare videri ea, quae traduntur PAULLUS (*R. S. I.*, 17, 2.), tum auctor libelli, quem vulgo PAPIANI responsum vocant (*tit. 18.*), tum denique AEGENUS VRBICUS (*de controu. agror. part. I.*) 2); quippe qui, etiamsi post Legem Scriboniam scripserunt a), tamen, servitutes vsucapi posse statuere videntur. De his igitur locis vt pauca addamus, supereft b).

Atque

y) Placet haec coniectura eam quoque ob causam, quia, si credimus propter libertatis favorem latam esse L. Scriboniam, facile patet, cur eadem libertatis vsucapiorem non sustulit.

z) in GOESII *aukt. rei agrariae* p. 53.

a) Paullum & illius responi auctorem post Legem Scrib. scripsisse, certum est; de Aggeni vero aetate vide infra p. 36. 37. not. s.

b) *Legem II. §. I. de publ. in rem alt.* & *L. 2. C. de servitt.*, quas GALVANUS (*de vsufr. XII. 4*) praeter illa Paulli, Papijani & Aggeni loca, *Legi 4. §. vlt. cit.* obftare

Atque inprimis illud PAULLI effatum, ita sese habens: *Servitus hauriendae vel deducendae aquae biennio omiſſa intercidit, Et biennio uſurpata recipitur*, haud parum viris doctis faſſiuit negotii. Nam Paullus, dum ſervitutem hanc, de qua loquitur, non uſu biennii amiſſam bennio uſurpatam recipi docet, eandem biennio uſucapi, adeoque contrarium eius, quod *L. 4. §. ult. de uſurpp.* tradiderat, affirmare videtur. — Vario modo hunc nodum expedire conati ſunt JCI. Nam CUIACIUS c) hoc loco de ſervitute plane amiſſa agi negat, ſententiamque Paulli hanc fuiſſe credit, „Aquam non utendo amitti, ſi is, cui debetur, ea biennio non utatur; quod ſi ea biennio utatur (i. e. ſi uſurpaverit eam, cuius uſu ſe aliquo tempore abſtinuerat) non iam amitti; ſed *quum inibi eſſet, quodammo- do recipi vel retineri*”; quam huius loci explicationem WESTPHALIUS d) clarius, uti videtur, ita propoſuit: „Paullum ſibi velle, ſervitutem aquae hauriendae, ſi *infra biennium* adhuc ea utatur vicinus, iterum pleniffimum recipere vigorem, *quum iam interitui*

obſtare videri poſſe credit, hoc loco praetereo; quia de illis infra (ſect. II. huius comment.) commodius agi poterit.

c) CUIAC. l. c. ad *L. 4. §. ult. in f.*

d) WESTPH. *de lib. Et ſerv. praed. §. 830. not. 739.*

teritui e
de ſervi
uſurpar
uſu ret
ſtatuent
veriores
ſi de ſe
teretur,
loqui v
vocabul
ennio v
us quo
locum
cipi vel
quia v
locis; d
idem f
hoc lo
repugn
hil aliu
mus:
interpr

e) F
ſer
loc
qu
ER
Cu
f) C

teritui esset proxima". Alii e) contra, Jctum de servitute amissa agere, affirmant; vocem *usurpare* (quam Cuiacius h. l. idem esse ac *usu retinere* contendit) nihil aliud denotare statuentes, quam *usu acquirere*. Et hi sane viorem videntur tueri sententiam. Etenim si de servitute, quae „in eo esset, ut amitteretur, seu quae interitui iam esset proxima" loqui voluisset Jctus: minime uti potuisset vocabulo *recipere*; sed dicere debuisset: „biennio usurpata *retinetur*"; quod ipse Cuiacius quodammodo fateri videtur, dum, hunc locum explicans, *aquam*, inquit, — — *recipi vel retineri*. Neque dubium esse potest, quin vox *usurpare*, quamquam permultis in locis denotet *usu retinere*, tamen aliis locis idem sit ac *usu acquirere* f); adeoque & hoc loco ita explicari possit; — licet nec ei repugnarem, qui credere mallet, illam h. l. nihil aliud significare, ac *uti*. Quod enim si statui- mus: vltima huius loci verba ita possumus interpretari: „Servitus biennio omiſſa inter- cidit,

e) Ex quibus nomino D'AVEZANUM (*lib. servitt. P. IX. c. 4.*) SCHULTINGIUM (*ad loc. cit. Paulli in iurispr. Anteiust.*), atque Zanum a COSTA, qui (*l. c. ap. MERM. T. I. p. 708.*) fusius disputat contra Cuiacium. — Addatur Paulli *interpres*.

f) Cf. *L. 40. ex quib. causſ. maior.*

cidit, & ab eo, qui biennio ea usus est, recipitur".

At vero, quamvis his, qui hoc loco de servitute plane amissa agi credunt, assentiri haud dubitem: vix tamen puto, eosdem hunc locum illamque *legem 4. §. ult. cit. recte* inter se conciliasse. Nam, Paullum hoc loco ius antiquum tradere, — quae est opinio D'AVEZANII atque SCHULTINGII g), — propterea mihi haud videtur probabile, quia dicit, *Servitus — intercidit — recipitur h)*. Neque verius videtur quod RAMOS DEL MANZANO i) & GALVANUS k) de hoc loco disputarunt. Existimantes enim, servitutem quidem per se (propter Legem Scriboniam) adquiri haud potuisse, amissam tamen per biennium potuisse recuperari, statuunt aliquid, quod a reliquo iure Romano plane ab-

horrere

g) Cf. D'AVEZ. & SCHULT. *locis citt.*

h) Notandum tamen, D'AVEZ ANIVM observare, PAVLLVM in *sententiar. recept.* libris passim ius antiquum proponere. — Quodsi enim alia horum librorum loca monstrari possent, vbi Paullus ius antiquum sic tradat. quasi adhuc obtineat: huic D'AVEZANII & Schultingii sententiae lubenter subscriberem.

i) RAMOS *Comm. ad tit. D. de servitt. II, 2. 18. ap. MERRM. T. VII, p. 67.*

k) GALV. *de usufr. XII, 4.*

horrere
amissimus
alias idem
Responsi
locis sup
biennio
vitute ad

Ait
Aquaaccu
emio con
carpentia
adquiri
BICUS n
culturas
spatium
virali &
capitur
fuit.

Co
sponfi,

1) R
m) S
n) I
ex
ha
M
ne
ne
pe
pi

horre videtur; siquidem circa iura, quae amissimus, eaque, quae nunquam habuimus, aliis idem iustum est. Hoc accedit, quod Responsi Papiani auctor & Aggenus Vibicus, locis supra memoratis minime de servitute bieanio recuperanda; sed generatim de servitute adquirenda agant.

Ait enim AUCTOR Responsi illius D): *Aquae cursum & adquiren biennio & amitti biennio constat. Viam, iter, actum, hoc est ubi carpenta vel corra ducuntur, similiter biennio adquiren & amitti posse*; atque AGGENUS VIBICUS m): *Non enim iter, inquit, qua ad culturas (i. e. agros cultos) perveniatur (i. e. spatium illud quinque pedum ex lege decemvirali & lege Mamilia haud usufruendum n)) capitur usu; sed id, quod in usu biennium fuit.*

Constituendum tamen est, auctorem Responsi, hominem barbarum, illum Pauli locum

C 2

l) *Resp. Pap. tit. 18.*

m) *in Gosf. auct. rei agr. p. 53.*

n) Ita hunc locum recte explicari, patet ex iis, quae eum proxime antecedunt; haec enim ita sese habent: *De fine L. Mamilia quinque aut sex pedum latitudinem praescribit, quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circumactus aratri; quod usufruipi non potest. Non enim &c.*

locum, ex quo haec, quae ipse habet, hausisse videtur o), forsan minus intellexisse p); Aggeni vero Urbici verba tam obscura esse, ut ne quidem, an de servitute, saltem sine praedio acquirenda loquatur Aggenus, satis pateat. Possunt enim illa verba vel de servitute cum praedio vsucapienda q), vel de loco, ubi iter fit, acquirendo r) intelligi; quae vltima

o) Quod non male monet SCHULTINGIUS.

p) Quare GALVANUS (*de vsufr.* XII, 4), hunc locum forsan retorquendum esse ad Pauli sententiam, existimat.

q) Ita CUIACIUS (*l. c. in f.*) interpretatur vulgarem huius loci lectionem; cui tamen aliam praeferre videtur, de qua vid. infra p. seq. not. s.

r) Hoc placet SCHULTINGIO (*ad Paul. I, 17, 2.*) nec non OTTONI (*Diss. cit. §. 6.*). — GALVANUS contra (*de vsufr. XII, 4.*) vocem *id* ad vocabulum *iter* referendam esse negat; existimans, eam indicare praedium. Verum praedii h. l. mentio non fit. — WESTPHALIUS (*de L. Et S. praed. not. 739.*) vel auctoritatem huius scriptoris non icti plane rejiciendam, vel vocabula *in vsu* pro vno verbo habenda esse censet. An recte, videant alii, me doctiores. Vltima sane eius coniectura mihi displicet; quia equidem, quomodo Aggenus ab vsucapiendo spatium quinque pedum ad servitutes non vsu extinguendas transire potuerit, haud allequor.

tima ex
nus verbi
de spatio
agit s).

s) Si
ante
firmam
MEE
de re
lam
Sed
quan
rei
vixit
qui
Tibe
nea
addi
si n
prim
nesc
mir
vsufr
tis d
gen
ad c
quom
tio
vera
pug
ac l

tima explicatio propterea placet, quia Aggenus verbis prioribus non de servitute, sed de spatio illo quinque pedum acquirendo agit s).

Facil-

s) Si credere liceret, Aggenum scripsisse ante Legem Scriboniam latam (quod affirmat REYES *ad L. Scrib. nr. 2.* ap. MEERM. T. VI. p. 464; quamvis p. 467, hac de re dubitari posse, fateri videatur): nullam hic locus nobis adferret difficultatem. Sed illud posse probari, dubito; nam, quamvis cum GOESRO (*Not. ad auct. rei agr.* p. 197.), illum ante D. Pium vixisse, credamus: opinio tamen eorum, qui eum ad Augusti (cf. REYES l. c.) vel Tiberii aetatem referunt, propterea erronea esse videtur, quia sacris Christianis addictum eum fuisse probabile est (cf. *Goessii not. cit.* p. 147.). -- -- Verum id in primis notandum videtur, quod plerique, nescio quo fato, profus neglexerunt; nimirum CULACIUM (*l. c. ad L. 4. § ult. de usurpp. extr.*) observare, se ex libris scriptis didicisse, apud Aggenum ita esse legendum: *Iter enim non, quia (qua?) ad culturas perveniatur, capitur usu, i. e. quod in usu biennio fuit.* Haec enim lectio non solum propterea placet, quia, si vera est, hic locus *Legi 4. cit.* minime repugnat; sed ideo etiam, quia clarior est, ac lectio vulgaris.

Facillime quidem omnia haec loca & *Legem 4. §. ult. de usurpp.* inter se conciliare possumus, si brevi post hanc legem latam servitutum usucapionem contra hanc legem expressam in forum reductam esse statuimus t). At. quo minus hoc credam, impediunt me ea iuris Romani loca, ex quibus discimus, post legem Scriboniam longo tempore servitutes esse adquisitas; qua de re alia oblata occasione accuratius erit exponendum.

Nunc enim restat, ut agam id, cuius causa haec qualiacunque sunt praemissa; nimirum ut proponam vobis, Commilitones humanissimi, lectiones, semestri, quod instat, a me habendas. — Tradam vero:

1) Hora VII. matut. *Institutiones iuris Romani civilis*; vsurus b. HOFACKERI *Elementis iuris civilis Romanorum*, Gottingae 1784. evulgatis; qui elegantissimus libellus ideo potissimum ad eiusmodi lectiones aptus esse videtur; quia continet iuris Rom. privati principia, ordine plano & perspicuo, ab ordine tamen eo, qui Triboniano placuit, haud nimis recedente, proposita; & eae iuris Canonici & Germanici particulae, quibus vsus iuris Romani in nostris foris regitur, rectius

t) Quod nonnullos credidisse, refert WESTPHALIUS (*l. c. not. 739. p. 568.*).

rectius, vt
omissae fu
ctionibus i
domadem
lustrem co
ditoribus i
minatoriis

2) D
ni contro
rum inter
mina sua
rogo. —

3) se
bus iuris
a me pot

rectius, vt arbitror, a celeberrimo auctore
omiffae funt. — In habendis autem his le-
ctionibus ita verfabor, vt quinq; per heb-
domadem ipfe breuiarium illud perpetuo il-
luftrum commentario; horam sextam, fi au-
ditoribus ita placuerit, exercitationibus exa-
minatorijs deftinaturus. — Deinde

2) *Disputationes* fuper locis iuris Roma-
ni controverfis *gratis* inftituam cum iis, quo-
rum intererit; quos, vt fatis tempeftive no-
mina fua apud me profiteantur, humaniffime
rogo. — Nec denique deero iis, qui

3) *ſcholar privatiffimas*, de Inftituti-
bus iuris Rom. & Digeftorum iure habendas,
a me poſtulent.

CE

Handwritten text in a historical script, possibly Latin or German, arranged in several lines. The text is faint and difficult to decipher due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten marginal notes on the right edge of the page, including the name 'L. E. E. E.' and other illegible script.



(x 228 2109)



2062.
1794, 2
2/

HISTORIAE
TAM VSVCAPIONIS
QVAM PRAESCRPTIONIS
ADQVISITIVAE
SERVITVTVM
SECT. I.

LECTIONES SVAS
PER SEMESTRE AESTIVVM
cDcD cclxxxiv
H A B E N D A S
INDICTVRVS

CONSCRIPSIT
GEORGIVS FRIED. WALCH
J. V. D.

GOTTINGAE
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

